

Neunzehnter Bericht

über das

Gymnasium zu Lauban,

von Ostern 1845 bis Ostern 1846,

womit

zu der am 30. und 31. März 1846

mit den Schülern aller Klassen abzuhaltenden

öffentlichen Prüfung

und zu der am Tage darauf folgenden

Zulassung der Abiturienten

ehrerbietigst und ergebenst einladet

Dr. Wilhelm Schwarz,

Rector des Gymnasiums.

Die voranstehende Abhandlung — **de Herodoto Deorum cultore** — hat
den Herrn Coll. Dr. Weisfert zum Verfasser.

Lauban,

gedruckt bei Fr. Moriz Baumeister.



Scio fore plerosque, qui mirentur, quid sit quod argumentum toties tractatum atque tantum non omnino exhaustum retractem. Non enim fere quisquam fuit ex viris doctis, qui Herodoti Musis operam navarunt, quin de patris historiae pietate, quam erga deos praestiterit, ita disputaverit, ut aut laudibus eam efferret, aut quoque nomine vituperandam esse censeret. — Quae ingeniorum dissensio unde emanare potuerit, non erit quod mireris, si diversam, qua viri docti uti sint, iudicandi rationem paullo accuratius perpenderit. Nonnulli enim christianae religionis doctrina non tam imbuti quam involuti antiquitatis sapientiam ab illa mirum quantum disjunctam perspicere nec voluerunt nec potuerunt; alii vero caeco paene antiquitatis amore abrepti haud facile quidquam in Herodoto invenerunt, quod non omni laude dignum esse opinarentur. Nec defuerunt, qui medium quendam locum obtinerent, atque, ut scriptoris sententias in disciplinae continuis praeceptis circumscriptae modum redigerent, omissis locis, qui contra illam disciplinam facere viderentur, in singulis sententiis acquiescere non dubitarent.

Quorum errores ut efflugerem, ita ad quaestionem de Herodoto deorum cultore instituendam accedere consului, ut neque opinionibus praepjudicatis, quominus veram Herodoteae pietatis conditionem investigarem, impedire, neque aliud prius quaerem quam Herodotum ex Herodoto effingere. Qua in re etiamsi novi quidquam haud poterit proferri, tamen opportunum videbatur, quid vere iudicandum esset de re toties sub litem vocata, nova quadam ratione exquirere.

Jam vero, quam novam praedicavi exquirendi rationem, eam ita fere comparatam esse scias, ut in medio relinquens, utrum Herodoti pietas laudanda sit, an vituperanda, ex Musarum libris ea tantum eruam, quae adversa fronte inter sese pugnent, neque intentus conjecturis concentum inter diversos locos componere studeam, qui nostrae quidem mentis indoli necessarius videatur, ab Herodoti vero iudicio omnino alienus sit. Quodsi enim ratione, qua philosophos decet, hanc quaestionem instituere vellem, religionis ac pietatis cum Herodoti tum universae antiquitatis natura enucleata, dissertationis ambitum tantum amplificatum iri intellexi, quantum nec temporis nec spatii conditio concedit.

Quare soli Herodoti libri iudicandi argumentum mihi suppeditabunt, neque, quidquid aut praestantis aut vitiosi uni alterive loco aspersum est, in totum opus diffundam, ne pietatem illam varia conditione variam ad iniquam, quam doctrina praebebat, sive ex philosophiae sive ex religionis cella deprompta, revocem consensionem. — Nam profecto cavendum est, ne in scriptorum ingenio indagando nimis indulgeamus acumini, quippe quod, quum quidquid impeditum est, artificiosa ratione expedire solet, facillime exsultans justum iudicandi modum excedat, atque omnino superbiens fasidiat, quod simplicem ac nativam prae se ferat interpretationem. Jam enim qui scriptoris ingenium atque iudicium ut cognoscat contendit et laborat, quod ante pedes, ut ita dicam, positum est, tollat necesse est, neque officere putet doctrinae, si repugnantiam in locis deprehensam non quacunq̄ue conditione composuerit. Quid, si qualem esse volumus adumbramus scriptorem? Quid, si ita scripta recensemus, ut iudicium non tam conformemur, quam iamjam conformatum utique comprobemus? Quid tum putas subtilitati accedere posse, modo ne veritatem adpelles? Desinamus itaque tandem aliquando nostrorum temporum eruditionem nostrique animi sagacitatem in antiquitatis admirari scriptoribus, neque deprecemur, quae veteres inter multa praeclara peccaverint. — Quod vero pauci adhuc et ex parte tantummodo, quum imprimis tralaticia quaedam in principem historiae pietas ob stare videretur, repugnantias in deorum cultu ab Herodoto admissas castigaverunt, eo magis admirari debemus, quo minus frequens ejus lectio hanc iudicandi inconstantiam attentos lectores celare potuit. Quare fortasse non supervacaneum neque inutilem operam suscepi, si hac scribendi opportunitate ita usus sum, ut accuratorem Herodoteae in rebus divinis rationis cognitionem, locis illis excussis, qui ad iudicium hac de re conformandum vim habere videantur, non tam viris doctis praebeam, quam juvenibus, qui in operibus ejus legendis occupati sunt, praeparem; etenim hoc est, ne quis aliud quidquam expectet, quod praestare volui, quum de Herodoto deorum cultore me scripturum esse professus sum. Quo ex disputandi genere hoc quoque commodi mihi redundabit, quod, quum loci Herodotei satis firmum iudicandi ponerent fundamentum, supersedere potui amplioris doctrinae praesidiis, quibus in tristi hujus urbis literarum conditione temporisque in angustiis omnino supersendum erat. Hoffmeisteri enim liber praestantissimus „Sittlich-religiöse Lebensansicht des Herodotes“ solus fere mihi suppetebat genusque disquisitionis suasit. — Verumtamen ne justos praefationis excedamus fines, nonnullis aliis, quae praemonenda videbantur, omissis, ad ipsam disputationem transeamus.

In universum Herodotus ita plerumque narrationem suam instituit, ut rebus gestis, neglectis illis, quae humana observantur ratione, propioribus causis, originem a deorum quadam auctoritate repetitam subdidit. Hinc illud oraculorum, somniorum, prodigiorum diffusum est momentum grave ac paene mirificum. Qua in re statim ab initio lex recensenda est, quam, locis plurimis diligenter inter sese comparatis, non sine causa proponere mihi video. Ut enim Herodotus in omnibus rebus, quae ad hominum facta et consilia, vitaeque conditionem et vicissitudines spectant, nimia

quadam et pertinaci pietate deorum vim ubique respicit, ita in iis, quae ex rerum natura atque ordine orta esse videntur, explicandis et ad naturalem rationem revocandis tam incorruptam ac paene impiam collocavit iudicandi sagacitatem, ut saepius verecundus ille deorum cultor superstitiosus Graecorum opiniones rejiceret. Cfr. VII, 129 „Ipsi Thessali memorant Neptunum fecisse convallē, per quam effunditur Peneus, haud quidem absurde sentientes, addit scriptor: nam qui arbitratur Neptunum terram concutere, et quae terrae motu dirupta sint, hujus dei esse opera, is etiam cernens hunc locum dixerit Neptunum fecisse: namque distractio illa montium, ut mihi videtur, terrae motu effecta est.“ Cfr. VII, 189 „Dicuntur Athenienses divinitus Boream invocasse, ut barbarorum naves corrumpere; num autem propterea Boreas ingruerit in naves, non quo dicere. Cfr. praeterea VII, 191. VIII, 8. IV. 11. VI, 44. VII, 49. I, 74. V, 87. IV, 31. VII, 42. 152. VIII, 12. — Hanc emendatorem rerum et legum naturae cognitionem Herodotum ex itineribus, quae fecit plurima, acquisivisse verisimile est. Quum enim remotissimas terras peragrans admirabili rerum varietate cum cognitiones tum iudicium mirum quantum amplificaverit, iam iis, quae naturae legibus effecta viderentur, divinam supponere originem noluit. Eo majorem vim et auctoritatem divino numini concessit in omnibus rebus humanis, quarum soli moderatores, arbitri, auctores dii praedicantur. — Jam vero hac re potissimum a Graecorum opinione vulgari recessisse videtur Herodotus, quod, poetarum fabulis de singulorum deorum singulari forma repudiat, ipsis nominibus quibus utitur, (*Θεός VII, 8; ὁ θεός VII, 18; τὸ θεῖον I, 32; δαίμων I, 210; τὸ δαιμόνιον II, 120.*) excelsiorem quandam numinis divini notionem indicat. Quae notio qualis fuerit in singulis illis nominibus, neque expedita neque exigua est disquisitio; obstat enim praeter locorum ingentem copiam mira ipsius Herodoti verecundia, qua ubique cavens, ne justo plura de numinis divini natura enunciet, intactum potius hunc locum relinquit. Cfr. II, 3 „quas vero narrationes ad divina pertinentes (*τὰ θεῖα τῶν ἀπηνήματων*) audiverim, eas non in publicum enunciaverim, nisi ipsorum tantummodo nomina, existimans omnes homines idem novisse de his; quorum quidquid commemorabo, id oratione coactus commemorabo.“ Cfr. II, 65 „devo inprimis res divinas enarrare.“ II, 45 „haec tamen, quae (de Hercule) diximus, sint et a diis et ab heroiis in bonam partem accepta.“ Cfr. V, 157. II, 46. 47. 86. 132. 170. 171. 61. 129 etc.; quin etiam opinari de rebus divinis dubitationem affert IX, 65.

Quae quum ita sint, omnibus his locis aperte sane et manifesto praeceptum esse videtur, ne quis, vulgi opinione relicta, nova de diis homines doceret, neve domesticam et privatam sectaretur disciplinam. Cui verecundiae adversa fronte repugnat pervulgatus ille locus II, 53, ubi aperte (*τὰ δὲ ἐς Ἡσίοδον τε καὶ Ὀμηρον ἔχονται ἐργὰ λέγῳ*) Hesiodum et Homerum eos fuisse declarat scriptor, qui Graecis theogoniam fecerint, diisque et cognomina imposuerint, honoresque et artificia adixerint, et figuras eorum designaverint. Neque minus cum illa verecundia male convenit, quod plurimis in locis

Graecorum deorum ex Aegypto accessit ortus atque origo. Cfr. II, 50. 49. 43. 91. VI, 53 — 55. II, 171. 145. 146. Mirum hoc studium haud dubie provocarant mysteria secretique cultus, quorum notitiam, quum diu in Aegypto moraretur, a sacerdotibus acceperat Herodotus II, 62. 81. 132. 171. 47. 61. 86, idem non reputans, Aegyptiorum gentem usque ad Psammetichi regis tempora ab omnibus ceteris seclusam vixisse et remotam. Sed ne de his quidem praeter conjecturas verisimile quidquam concludi potest.

Itaque hoc tantummodo pro explorato affirmaverim, Herodotum deorum formam quandam cernendamque speciem improbasse; quare I, 60 Atheniensium, qui Minervam conspiceri opinarentur, perstrinxit stolidam fatuitatem, et I, 182 Chaldaeorum narrationi, deum ipsum et venire in templum, et in lecto conquiescere, fidem omnino abrogavit. Cfr. I, 131. Hinc illud interpretari possumus, quo scriptorem vulgi opinionem dereliquisse paulo ante affirmavimus. Ubiunque enim causas humanarum rerum ad vim superiorem annectit, non ad singulos illos deos decurrit, quorum cultum ornatumque poetae Graecis suppediterunt, sed parum definitis nominibus (*Θεός, Θεῶν, δαιμόνιον* etc.) numen divinum summam quodammodo exponit.

Praeter hoc divinum numen summam in historiis libris vim atque auctoritatem fatalis quaedam necessitas (*μοῖρα, αἴσα, νέμεσις*) sibi vindicat. — Quamvis non sit huius loci nec mei consilii de natura divini numinis copiosius disquirere, hoc tamen annotare liceat, a viris doctis distingui solere inter fati vim necessariam, quam haud quisquam effugere possit, et inter deorum auctoritatem fato tantum non semper subjectam. Cfr. Hoffmeisteri l. l. pag. 11 — 13. Verum tamen locis ex Herodoto diligentius inter sese comparatis jam apparebit, discrimen illud non omnino esse comprobandum, nisi forte vim nonnunquam inferre vis menti scriptoris, qui quum non ad singulos respiceret deos, sed *Θεός, Θεῶν, δαιμόνιον* similibus uteretur, nihil aliud videtur exprimere voluisse, nisi fati ipsius varias conditiones. Accedit quod fatum non significat summam quandam vim a divino numine alienam et separatam, sed ipsorum deorum auctoritate et voluntate constitutum et effectum. Quare quod deorum auspiciis designatum est, ita non vitari potest, ut singuli dii differere quidem interdum potuerint fatum aliquamdiu, nunquam vero avertere. Non est itaque, quod loco nodoso et impedito I, 91. *τὴν πεπραμένην μοῖραν ἀδυνατὸν ἐστὶ ἀποφυγῆεν καὶ θεῶν*, quo permoti plerique fatum deorum auctoritatem exsuperans sibi efflaxerunt, nimium concedamus. Cfr. quae Duges de fati apud Herodotum ratione subtiliter disseruit.

Neque minus dignum esse videtur, in quo aliquantulum immoremur, priusquam locos singulos recenseamus, quae potissimum causa Herodotum impulerit, ut tanto studio totam humanam vitae conditionem sub imperium atque arbitrium superioris seu numinis seu fati redegerit. Quae res inde fluxisse mihi videtur, quod Herodotus animi immortalitatem in dubitationem vocavit. Cfr. Hoffmeisteri l. l. pag. 37 — 41.

Nam quae nos quidem in iniquis vitae fortunaeque vicissitudinibus spes erigere solet, fore ut brevem hanc miseriam aeterna exciperet felicitas, eam Herodotus omnino ignorabat; quoniam itaque in libris historiarum nec praemii nec poenae pro mortem locum quandam concessit, variam autem rationem, qua hominum sors constitui videretur, aliquo modo exaequandam esse sibi persuasit: quid, quaeso, mirum erat, quod jam in hac terra divino numini illas exaequandi partes imposuit, ne facinorosi, iniusti, superbi poena destituerentur, neve pii, iusti, probi praemiis non afficerentur?

Jam his praemissis disputationis duas proponere partes placet, quarum prior qualem divinam rerum humanarum moderationem Herodotus descriperit ita demonstrabit, ut non solum ipsius numinis divini auctoritas appareat, sed etiam oraculorum, somniorum, prodigiorum, quae divinis consiliis perficiendis inserviebant, ratio habeatur; altera autem eos locos recenset, quibus Herodotus, doctrina sua male derelicta, cum rerum quadam veritate coactus, tum vero sponte sua et voluntate ad sobriae mentis amussim, quod sequi decet rerum scriptorem, recurrit, hominumque iudicio liberoque arbitrio jus honoremque debitum.

Plurimi exstant loci, qui comprobant, Herodotum non secundas modo adversaeque res, sed virtutes quoque vitaeque hominum a vi superiore repetisse nullumque fere neque operae nec sapientiae humanae reliquisse locum. Illa divina rerum species multis argumentis declaratur, IX, 100. „*ὅπλα δὲ πολλοῖσι τεκμηρίοις ἐστὶ τὰ θεῖα τῶν πεπραμένων*“. Dii hominibus in quacunque re graviore auxilium sunt. Cfr. I, 67. 87. 91. 209. II, 181. V, 75. VI, 61. 109. VII, 54. 113. 114. VIII, 64. 122. 138. 143. IX, 78. Ita e. c. Pausanias, ut unum quidem locum pluribus describam, quum in pugna Plataensi Lacedaemonii cum Mardonio conflicturi perlitare non possent, respiciens ad templum Junonis Plataeensem deam imploravit obsecravitque, ne spes sua ipsos frustraretur; statimque post Pausaniae preces sacrificantibus Lacedaemoniis exta pulchra exstiterunt. IX, 61. Inprimis nobilissimum illud bellum Persicum, quod quum gravissimum et quasi primum totius narrationis efficiat caput, quocumque loco pietati Herodoteae illustrandae inservit, totum deorum auspiciis gestum esse apparet; Graeci enim propter pium disque subjectum animum quoque modo sublevantur. VIII, 12. 94. 114. 143. IX, 64. 90. 91. 92. 94. 100. 101. etc. Quare dii operae optime navatae praemium a Graecis et accipiebant et exigebant, cfr. VIII, 121. 122. IX, 81.

Qui loci quum satis demonstrent, quanta auxilium opemque deorum praestare voluerit Herodotus, ejus miratio VII, 153 expressa sane miranda est. Telines viros Gelenses, qui in seditione inferiores profugerant, Gelam reduxit, nullis virorum copiis adjutus, sed deorum inferarum sacris fretus. Cui narrationi haec verba adiecit scriptor: „sed me incedit admiratio, quod audio tantum opus Telinense efficere, quantum non a quolibet viro effici opinor, sed ab eo tantum, qui sit bonae mentis

virilique robore; at ille fertur ab incolis Siciliae fuisse vir mollis et effeminatus.⁴⁴ Omni itaque honore orbari videtur auxilium divinum, si in imbecillitate humana miraculi loco habetur, haud secus ac si sapientia operaque hominum indigeat. Et sane quidem intelligere poterat Herodotus divinum auxilium interdum non satis esse efficacem. Thebanis enim cum Atheniensibus bellum gerentibus ab Aeginetis ex dei oraculo Aeacidiae subsidio missi sunt, quorum societate freti Thebani quum impetum fecissent, ab Atheniensibus male mulcati virorum auxilia, remissis Aeacidis, oraverunt. V, 81.

Tantum vero abest, ut dii votis solummodo hominum succurrant, honorumque existant largitores, ut etiam cladis cuiusque rerumque calamitosarum judicentur machinatorum. Quam opinionem Croesus, filio ab Adrasto interfecto, apertissime profutetur. „Minime inquit, tu hospes, hujus nihili auctor es cladis, nisi quod caedem imprudens perpetrasti, sed deorum quispiam, qui jampridem ventura mihi significavit. I. 45. Cfr. praeterea I, 87. 89. 105. 127. III, 64. VI, 12. 27. VII, 18. VIII, 129. 137. etc.

Neque eventum solum rerum Herodotus ex deorum auctoritate facit pendentem, sed etiam ipsas hominum actiones divini numinis impulsui annectit. Ita Cretes divino impulsu cum magna classe in Sicaniam trajecti obsederunt Camicum VII, 170, et Spartiatae, quibus idem semper obtigit dei Delphici responsum, ut liberarent Athenas, miserunt exercitum ad expellendum Athenis Pisistratidas licet hospites suos inprimis; antiquiora enim duxerunt, quae ad deum, quam quae ad homines pertinebant. V, 63. Cfr. IV, 203. V, 1. VII, 8. I, 71. III, 21.

Jam vero hac numinis divini auctoritate in rebus humanis ubique conspicua ita usus est Herodotus, ut doctrinam inde sibi effligeret certis principis superstructam, qua aequam calamitatis atque prosperitatis diis attribueret distributionem. Pelasgi, refert Herodotus, a quibus Graeci deinceps deorum cultum acceperunt, numina divina propterea deos cognominaverunt, quod omnium rerum ordinem atque distributionem constituerint II, 52. Illa autem divina rerum moderatio ita Herodoto comparata esse videbatur, ut hominibus certa quaedam vitae conditio felicitatisque modus constitueretur, quem qui excedit, hunc numen divinum reprimat, superbia elatos deruit, neque omnino patitur hominem violare fortunae atque rerum aequabilitatem. (*Ἐπει τὰ ἴσα νέμονται* VI, 109. Cfr. VII, 203. „neque est quispiam mortalis neque erit, qui ex quo natus est, mali exorsus sit, ita quidem ut maximum quemque maxima affligant mala. Cfr. I, 207. VIII, 13).

Inprimis itaque divina numina magnas hominum injurias ubique conspicuis poenis persequi solent. Quamquam Trojani ex ea quam Herodotus secutus est memoria Helenam reddere non poterant, tamen Graeci fidem eis denegabant, numine disponente, (verba adjecta „ὡς μὲν ἐγὼ γράμην ἀποφαίνουμαι“ aperte indicant Herodotum suam ipsius de hac re sententiam dicere) ut Dardani gens funditus eversa

homines edoceret, magnarum injuriarum magnas etiam a diis venire ultiones. II, 120. cfr. IV, 119. I, 105. V, 85. II, 111. V, 56 „nemo hominum injustus non solvit tempore poenam.“ Panjonius, vir Clivus, exsecerat Hermotimum quendam, qui quum ex omnibus eunuchis in summum honorem apud Xerxem venisset, postero tempore Panjonium cum omni familia adeptus est. Jam itaque his verbis ultionem ab illo sumit: „num putabas fore, quae tunc machinabaris, laterent deos? qui justa lege utentes, te infandorum opificem tradiderunt in manus meas, ut de poena a me tibi irroganda queri non posses. Haec ubi exprobravit homini, filiis in conspectum adductis, coactus est Panjonius filios suos exsecrare. Ita ultio ac Hermotimus persecutus est Panjonium.“ VII, 106. Cfr. VIII, 114. 129. IX, 64. 79. 93. III. 30. 33. 126. 128.

Tamen interdum expositioni poenarum a divino numine constitutarum aliam quandam probabiliorem calamitatis causam rerum scriptor ita inserit, ut dubius videatur, in utram discedendum sit sententiam. Exposita enim Cambysis insaniam III, 33 verba addit „sive illa propter scelus in Aegyptiorum deum commissum erupit, sive aliunde; etenim dicitur Cambyses ab ipsis natalibus grandi laborasse morbo, ut haud ab fide fuerit, quum corpus magna infirmitate correptum esset, ejus nec mentem sanam fuisse.“ Cfr. III, 30. Cleomenis vero insaniam, cujus causam probabilem fama popularis afferebat, cfr. VI, 84 „negant autem ipsi Spartiatae ab ullo daemonio Cleonienem ad insaniam redactum, sed conversatione Scytharum meri pototorem esse factum, et inde furiosum“ — divinis poenis exsolutam esse Herodotus nolit.

Neque minus nimiae hominum ultiones deorum excitant poenas. Pheretima IV, 205 simulatque ulta Barcaeos ex Africa in Aegyptum rediit, quia modum ultionis transgressa erat, male periit, vermibus adesa. Sic, addit Herodotus, acres admodum ultiones hominibus deorum offensionem colligunt. Cfr. VI, 91. 139. VII, 169. 197. I, 167. IX, 93. Pespicum ultionis divinae exemplum in ipsa extrema historiarum parte propositum est IX, 116 — 120. Praetor Xerxis Artayctes, vir prae omnibus facinorosus, qui Protesilae pecunias subdole surripuerat, a Graecis victus et in vincula conjectus ex niro quodam ostento, quod custodi ejus exstitisse fertur, intellexit, Protesilaum a diis habere potestatem eum, a quo injuriam acceperit ulciscendi. Et paulo post omnibus cruciatibus patibulo affixus est, filio ante patris oculos lapidibus obruto. — Quantum vero auctoritatis Herodotus illi ultionis opinionem assignaverit, inde conjici licet, quod interdum rebus calamitosis, quamvis apertissima earum exstaret causa, ut ita dicam externa et adventicia, injuriarum vicissitudinem aptavit. Cfr. VI, 72. Leotychides in expeditione Thessalica dux Lacedaemoniorum factus quum pecunia corruptus esset, in iudicium delatus et Sparta profugit. Quamquam itaque ipse sibi Leotychides avaritia abreptus hanc calamitatem contraxerat, tamen ad deorum ultionem decurrit Herodotus; has enim inquit poenas Demarato rependit, in quem injuste fecerat. Cfr. VII, 8. VIII, 144.

Quod quum ita sit, quid mirum quod in posteros quoque dii Herodotei injuriarum poenas producere solent., (II, 120. I, 13. 91. VII, 197) cujus rei unum manifestissimum exemplum protulisse sufficiat VII, 134. Lacedaemoniis ira Talthybi, qui fuit Agamemnonis praeco, incubuit, quod Darii legatos in voragine dejectant. Itaque Sperthias et Bulis, viri Spartiatae ultro se obtulerunt ad solvendam Xerxi ultionem ob legatos Spartae interemptos. Jam pergit Herodotus cap. 137 „haec re perpetrata in praesens quidem ira Talthybi ingruius in nuntiis, nec quievisse, priusquam eventum nacta fuerit, fas ita ferebat (τὸ δίκαιον οὕτω εἶπε)“, quod autem incidit in eorum, qui ad regem propter iram istam ascenderant, filios, id mihi quidem manifestum est, divinitus factum esse. Qua in narratione sane mirari subit, quod Herodotus apud Spartanos quidem illam deorum ultionem discrete agnoscit atque comprobat, apud Athenienses autem denegare videtur; nam dicit cap. 133 „quid Atheniensibus, quod ita legatos tractarint, triste contigerit, non queo dicere, nisi quod eorum solum cum urbe vastatum est; verum tamen hoc ipsum minime illa ex causa contigisse suspicor.

Divina rerum moderatio, quatenus adhuc exposita est, summae justitiae atque sapientiae, quam nos quoque reveremur, speciem prae se ferre videtur; sed excedunt Herodotei dei ita modum justae atque aequi, ut invidia inducti in homines nimis felices atque excelsos, licet nulli eorum culpa, calamitatem constituent. Quas fortunae vicissitudines Croesus et Polycrates subierunt, in omnium fere ore est. Nec minus Artabani verba, quibus Xerxem deterere vult ab impetu in Graecos faciendo, qualem Herodotus sibi cogitaverit istam deorum invidiam, nos edocent VII, 10 „Praegrandia animalia fulmine deus ferit, nec sinit inolescere, neque vero parva iram ejus movent. Summas semper domos et arbores tela dei percunt; gaudet enim deus eminentissima quaeque mutilare. Unde et ingens exercitus ab exiguo profligatur, et quoties deus invidus metum iis incutit, indignum utique priore fortuna exitum habent; nam deus neminem alium quam se ipsum sinit superbi.“ Idem ille Artabanus cap. 46 haud dubie ex ipsius Herodoti mente hanc sententiam gravissimam aperit: „Mors optatissimum est refugium aerumnosae vitae, nam simulatque deus homini, ut vitae dulcedinem degustaret, concessit, jam invidus in ea esse deprehenditur.“ Conferas quae Themistocles VIII, 109 de Xerxis clade profert „non Graeci Persas vicerunt, sed dii, qui inviderunt, unum virum esse et Asiae regem et Europae etc.“ De invidia deorum prosperis hominum rebus atque nimia felicitate provocata hos praeterea conferas velim locos I, 32. 34. III, 40. 42. 125. VII, 203. II, 161. 169. Habet profecto haec opinio de invidia deorum in rerum scriptore insoliti quid et perversi, quo sane mireris praeter poetas quemquam delectatum fuisse.

Deinde, quum, quidquid divinitus fiat, id nulla ratione averti possit, cfr. IX, 16.

III, 43 hinc fati exorta est necessitas, *πεπρωμένη μοίρη*, certa illa immutabilis-que lex, quae ambitu suo uniuscujusque sortem amplectitur, quam nemo effugere potest III, 65 („non situm est in hominis natura avertere quod eventurum est“) I, 91. VI, 86. III, 142. VII, 17. 49 — ne is quidem, qui culpa vacat; ita enim Polycrates tetra morte affectus est, licet indigna sua persona et cogitationibus, ut ipse addit Herodotus III, 125. cfr. IV, 164. Quin pietatem ipsam causam esse, quae iniquum fatum acciverit, patet ex libri secundi capite 133. Mycerino enim, regi Aegyptiorum portendebatur, fore ut sex omnino annos viveret. Cui iniquitatem diis exprobrant, quod, quum pater et patruus, qui et templa claudi jussissent, et deos non curassent, diu vixissent, ipse pietatem colens tam cito foret moriturus, responsum est: propterea ipsum prope vitam finiturum, quod fati consilium non consequeretur; oportuisse enim Aegyptum centum quinquaginta annis affligi, idque duos, qui ante eum fuissent, reges didicisse, ipsum vero nequaquam.“

Quare fati vis exprimi solet verbis *δῆι, χρεῖ, χρεῶν ἔστι, ἐμμελλε, πεπρωμένον, μόστιμον* etc. cfr. V, 33 „quoniam non erat fatale (οὐ γὰρ ἔδει) Naxios expeditione Aristagorae et Megabatis pessumdari, hoc contigit“ etc. IX, 42. „Persis constitutum est, in Graeciam profectos, direpto templo, quod Delphis est, interire.“ Cfr. VI, 64. 135. VIII, 53. II, 161. IV, 79. IX, 37. 109. VIII, 141. V, 92. IV, 178. I, 8. III, 65. 64. 154. VII, 17.

Tamen noluit Herodotus fatali illa rerum futurarum necessitate deorum potentiam circumcidere ac coercere, quare eas detulit divino numini partes, ut fati decreta exsequeretur; quia in re consentaneum est et tempus et rationem exsequendi quodammodo ex arbitrio deorum pependisse. Cfr. I, 91. Quare in ipso nomine, quo haec deorum in res fatales vis designatur, arbitrarii atque temerarii notio expressa est, *θεῖνι τύχη*, vel *πομπή*. Cfr. I, 126. IV, 8. V, 92. IX, 91. III, 139. I, 62. III, 77. VIII, 94. Deinde occasionis (*πρῆφάσις*) quoque saepius mentio fit a diis suppeditatae, ex qua fatum constitutum evenire solet. Cfr. IV, 79. „Quum Scyly, regi Scytharum, deberet improspere cedere, Baccho initiari affectabat, qua re audita Scythae eum trucidarunt. Cfr. VI, 135. II, 161. IX, 37. 109.

Quid quod adeo hujus praetextus (*πρῆφάσις*) notio aucta est, ut statueretur, homines a diis dolis ac fallaciis circumventos et deceptos ad delicta committenda pellici, ne omni culpa carentes fati tristem conditionem subire viderentur. Cfr. II, 139. Sabacus dormiens virum conspexit, qui suadebat ipsi, ut sacerdotes dissecaret medios, qua visione intellexit deos sibi demonstrare occasionem, ut piaculo in sacra commisso aliquid cladis aut a diis aut ab hominibus acciperet.

Quis est qui neget omnibus his opinionibus Herodoti de fati divinaeque sortis nimia auctoritate id potissimum deesse, quod in hominum factis divindicandis summi momenti esse videtur, agendi dico liberum arbitrium, quo oppresso omne virtutis decus extinguatur, omnis vitiorum culpa deluatur necesse est. In illa enim, quam

observavimus, fati consilii praevalentis necessitate, in illo quamcumque deliberationem superante coelestis numinis momento fieri non poterat, quin divinum arbitrium sapientiae, virtutis, sollertiae humanae locum occuparet, deorumque anxius cultus sanum ac prudens de rebus gestis iudicium aboleret.

Jam his, ne nimis angustos dissertationi constitutos fines transirem, perbrevis recensens, subsidia atque quasi argumenta circumspiciamus, quibus dii apud Herodotum in administratione rerum humanarum usi sint, inter quae oraculorum auctoritas imprimis digna est, quae pluribus exponatur, quippe quae latissime in rerum gestarum narratione patuerit. Quamvis enim ipse Herodotus oraculis vim tribuerit, satis nobis demonstrat locus gravissimus VIII, 77 „non habeo adversari oraculis, tanquam non veris, nolens evidenter loquentia refellere conari;“ et paulo post: „quam ita evidenter oracula loquantur, profecto neque ipse ausim contradicere, neque ab aliis sustineam.“ Cfr. VIII, 96. VI, 18. 19. Sed in hac quoque re Herodoti credulitatem iudiciumque parum consideratum atque circumspectum non tam ex nostris aevi eruditione, quam ex ipsarum rerum, quas enarraverit, conditione atque indole demonstrari posse, permuldi loci comprobant. — Maxime enim nimiae, qua oracula coluit Herodotus, pietati (τὸ πειρηθῆναι τοῦ θεοῦ καὶ τὸ ποιῆσαι ἴσον δύνανται VI, 86) repugnare videntur, quae de impietate nonnullorum in oraculis pecunia corrumpendis vel indigna ratione explorandis et tentandis perspicua ita saepius memoriae traduntur, ut nulla omnino laesae religionis ultio appareat. Cfr. V, 63. Alcmaeonidae Pythiam pecunia induxerunt, ut quoties visir Spartiatae venirent petentes oraculum, proponeret ipsis liberare Athenas a Pisistratidarum dominatione. Lacedaemonii itaque, quum idem semper praecipere, exercitum miserunt. Cfr. V, 66. VIII, 134. VII, 6. VI, 66. Croesus Cyro bellum illaturus emisit homines ad tentanda oracula, ut, si vera deprehenderentur, tum demum rogaret, num in Persas expeditionem moliretur. Atque aliorum quidem vaticiniorum praeter Amphiarai vanitatem reperta, unius Pythiae responsum veridicum se praeiit I, 47, atque propter id ipsum optime nobis demonstrat, quam indignum tentamentum Croesus oracula subire voluerit. Neque minus Aristodicus oraculi sententiam facite tentat I, 158. 159. Pactyas, qui Lydos a Cyro desciscere impulerat, quum Persarum exercitus appropinquaret, Cymen fugerat. Tum Cymaci jussi eum tradere, deum his consuluerunt; jam itaque accepto eodem responso, ut Pactyam Persis traderent, quum parati essent, Aristodicus oraculo parum fidens, passeret, qui in templo nidulabantur, e nidis exemit, iratoque deo, quod ex templo supplices ejus diriperentur, respondit: „Tunc ipse sic auxilium fers supplicibus, attamen Cymaeos jubes supplicem (Pactyam) tradere? Tum vero deum hanc vocem edidisse dicunt: „Equidem jubeo, ut vos impii citius male pereatis, ne deinde oraculum de dedendis supplicibus lacessatis.“ Quam miram causam cur praetexerit deus haud intelligas, nisi forte stautis, eum Aristodici calliditate captum et circumventum iracundia adeo exarsisse, ut a mente prorsus desereretur; solent enim, qui se expedire nequeunt, in

inconsideratam iram praecipitare. Quare Cymaei offensi atque concitati oraculi rationem habere noluerunt. Compares praeterea, quam viles et miserae partes deorum oraculis assignatae sint II, 174. Amasis enim, qui, quum privatus esset, ut potandi aviditati satisfaceret, furari solitus erat, frequenter ad oracula furti detegendi causa adducebatur. Postquam itaque ipse regnum assecutus est, quicumque dii eum furti absolverant, horum templa nec curae habuit, neque adiens sacrificavit, tanquam nihil mererentur, quippe qui falsa obtinissent oracula. — Male profecto cum his, quos modo recensui, locis consentit summa Herodoti veneratio, qua alibi oracula prosequitur, eorumque neglectionem gravissimis poenis dignam esse asseverat, cfr. VIII, 20: quum Euboenses, contempto oraculo, non usi essent vaticiniis, debebat fieri, ut maxima calamitate afficerentur. V, 45. Doriens contra vaticinia agens cum exercitu perit. Cfr. IV, 150. 151. V, 42. 43. Quam religiosam verecundiam licet pietati viri condones, rerum scriptori crimini vertas necesse est.

Deinde ii quoque loci Herodoti pietati infesti iudicandi sunt, ex quibus oraculorum praecepta aut neglecta aut circumventa esse apparet. Cfr. V, 67 Clistheni, Sicyonis tyranno, cupienti monumentum Adrastrae in ipso Sicyoniorum foro exstructum, quippe qui Argivus esset heros, exterminari, ideoque Delphos adempti ad oraculum consulendum, num Adrastrum egeret, Pythia respondit „Adrastrum quidem Sicyonium regem esse, ipsum vero furciferum.“ Quare quod ei deus vi perpetrandum non concessit, id dolo perfecit; ascivit enim Thebanum heroa Melanippum Sicyonem, eique fauo juxta Adrastrum exstructo sacrificia et dies festos dedit Adrastrato ablato. Atque in hunc quidem apertam dei voluntatem Clisthenes laeserat, cfr. III, 16; Apolloniatae vero IX, 94, quamvis Pythiae postulatis satisfecerit, tamen vim eorum dolose infregerunt. Pythia enim praeeperat, ut Apolloniatae Euenio, quem luminibus orbaverant, piaculum luere, quo ipse sibi satisfieri putaret. Cujus oraculi ignarum Euenium quum Apolloniatae vaticinium fraudulentely celantes perconctati essent, quam multam injuriae sibi oblatae exacturus esset, si eam pendere ipsi promitterent, exigua atque levi poena impetrata deorum sententiam perfide circumvenerunt. Cfr. VI, 139. VII, 148. IX, 33.

Quin Herodotum ipsum memoriae famaeque popularis negligentem ex arbitrio oraculi responsum accepisse atque interpretatum fuisse, intelligimus ex libri quarti loco memorabili 155. Nam Battu, viro Theraeo ballutienti, quum Delphos adisset deum de voce consulturus, Pythiam respondisse ferunt „Batte, vocis causa me adiisti; sed tu velim in Lybiam venias urbis conditor.“ Quare Herodotus bene memor, Afris vocem Battum regem sonare, inde non dubitavit conicere, Pythiam illum virum lingua Africana vocasse Battum, quasi diceret „o rex vocis causa venisti.“ Battum autem revera aliter cognominatum fuisse. Qua in interpretatione Herodotus primum Theraeorum ipsorum, qui veri nominis illius viri haud dubie imprimis gnari erant, affirmationem parum respexit; deinde non perpendisse satis videtur, si quidem quattuor reges hoc nomine appellati in Cyrenaeos dominationem

habuerunt, cfr. IV, 163 („Ad quattuor Bantos ac totidem Arcesilaos, octo hominum aetates, extendit vobis Apollo Cyrenes imperium.“) Battum necessario personarum non dignitatis appellationem habendam esse; denique deo Graeco barbarae linguae notitiam imponens sibi ipsi insigniter repugnat, quippe qui quasi maximum miraculum tradat VIII, 135, Apollinem legato Mardonii, Carico homini, respondentem, Carica lingua usum fuisse. Quem locum ubi accuratius examinaveris, causam miraculi facillime expedies. Deus enim animo intendit Mardonio suadere, ut Athenienses sibi socios adscisceret, cfr. cap. 136; quare quum Thebanorum nonnulli legatum illum secuti essent, qui, quae responderentur, describerent, prophetae cavendum erat, ne consilium Thebanis periculosum innotesceret. Quae causa ab Herodoto quidem, qui praeter divinam auctoritatem haud aliud quidquam oraculis supponere ausus est, perspicui omnino non poterat.

Neque minus in eo Herodotus parum pietatem in oracula servasse videtur, quod divinam atque miraculosam eorum originem in dubitationem vocavit, verisimili atque quodammodo naturali causa substituta cfr. II, 54 — 57. Quid quod idem verecundis oraculorum cultor propterea Graeciam servatam esse affirmat, quoniam Athenienses manifestissimis oraculis non inducti sint, ut Graeciam desererent VII, 139, quo in loco, quum dii nunquam non liberatores Graeciae ultoresque Persarum superbiae ab Herodoto praedicentur, sane videtur alterutram repugnantiam esse admittendam, aut oraculi responsa deorum voluntati obstuisse, aut eosdem deos Atheniensibus eam rem suasisse, quae summopere, ut Graecia liberaretur, amovenda fuerit.

Denique ne improbitatem quidem vaticiniorum malitiosam manifestumque fallendi consilium, cujus insignia proponuntur exempla I, 66 (Spartanis de omni Arcadum regione subigenda oraculum Delphis consulentibus Pythia totam quidem Arcadiam denegat, adjectis tamen verbis „Tibi ego haud invidero quidquam, saltandam Tegeam planta plaudente daturus, campumque feracem fume metiendum.“ Quo responso accepto Lacedaemonii captivos freti oraculo, tanquam redacturi Tegeatas in servitutem, confidenter bellum susceperunt. Verum congressi proelio ac fugati, quicumque eorum vivi sunt capti, eisdem, quas ipsi attulerant, compedibus inclusi et campum Tegeatem mensi fume opus fecerunt. Quam oraculi ambiguitatem nisi consulto a deo, quomodo res evasura sit, ignaro, excogitatum esse statuis, jamjam confidentium erit, improbis fallacis oracula, ut hominibus calamitatem afferrent, usa esse.) I, 90. VI, 76 — itaque ne hanc quidem, dico, fraudulentam oraculorum malitiam Herodotum impedire potuisse, quominus firmissima fide cultuque religioso in oraculis deorum ipsorum et voluntatem et auctoritatem adoraret, fortasse nullam admirationem efficiet apud rerum scriptorem, qui invidiam deorum non recusaverit. Jam his expositis fateamur necesse est, Herodoti doctrinam de oraculorum vi atque auctoritate tam infirmis superstructam fuisse principiis, ut fieri non poterit, quin permultae inde consequentur repugnantiae.

Restat adhuc ut prodigiis quoque somniisque Herodotum divinam dignitatem vindicasse comprobem, quam rem locis paucissimis exhibitis satis absolutum iri video. Prodigia divinitus accidere disertè narrat Herodotus I, 174 *Δειότερον ἐφαίετο*. III, 153 *ὅν γὰρ θεῶν τεκεῖν τὴν ἡμίονον*; quoties enim ingentes sint eventurae calamitates vel civitati vel hominibus signis praenunciari VI, 27. VIII, 65; ostenta itaque in aliquo magno cedere solere VIII, 137.

Ex ingenti locorum copia duos tantummodo pluribus exponam, quorum priore Herodoti de prodigiis sententiam quasi exemplo proposito illustrari volui, alterum propter insoliti ac miri, quia insignitur, speciem elegi. Ubi enim Herodotus nunciavit, Delum insulam statim post Persarum discessum contremuisse, ita fere suam ipsius de prodigio sententiam aperit VI, 98 „Deus Graecis mala ventura hoc prodigio portendit; nam sub Dario et Xerxe et Artaxerxe plus malorum passa est Graecia, quam viginti aliis aetatibus, ut non extra ordinem Delos prius immobilis illo ipso tempore primum mota sit.

Alter locus exstat VIII, 37. Quum barbari ad templum, quod est Delphis, procederent, propheta Aceratas ante delubrum sacra arma exproptea e penetrati, quae nefas erat cuiquam mortalium contingere, adspicit, quod ostentum Delphis, qui aderant, perrexit nunciatum. Ubi autem barbari venere ad fanum Minervae, tum vero etiam majora superioribus prodigia illis exhibitae sunt. „Etenim, inquit scriptor, haec quoque res profecto valde miranda est, arma Martis sua sponte extra delubrum proposita apparuisse; secundo vero loco quod evenit ex omnibus miraculis maxima est admiratione dignum: quum enim barbari accederent, fulmina e caelo in eos deciderunt, et a Parnasso duo saxa abscissa magno cum fragore sunt devoluta, permultosque eorum interemerunt.“ Nobis quidem prius illud miraculum haud dubie difficiliorem habere videtur explicationem, neque Herodotus, si sibi constare voluisset (cfr. quae pag. 5 exposui) tantam admirandi causam in tempestate solito atrociore reperire debebat.

Ad extremum locus singularis significandus est V, 86, ubi Herodotus prodigio ab Aeginetis prodito omnem fidem detrectavit. Simulacra enim Damiae et Auxesiae, dum ab Atheniensibus circumdatis restibus traherentur, in genua procubuisse atque ex eo tempore semper in hoc habitu permansisse Aeginetae tradiderunt, quae res, inquit Herodotus, apud me quidem fide caret, alicui forsitan alteri credibilis est.

Infirmiorem leviolemque somniorum apud Herodotum auctoritatem esse reperies; licet enim permulti loci, (V, 55. II, 141. VI, 131. III, 30. 124. I, 34. 107. 209 etc.) quorum gravissimum VII, 12 — 18 prae amplo ambitu pluribus exponi nequit, satis demonstrent, somnia divinam voluntatem hominibus praenunciare, neque Artabani (qui VII, 16 affirmat somniorum visa plerumque frustrari ob ea, quae quis per diem mente agit) liberoire sapientioremq; ipsi Herodoto acceptam esse interpretationem: tamen aliis in locis conceditur, somniorum vim in res exiguas

aliquando frivolasque evasisse. Cfr. I, 120. 121. Cujus rei manifestissimum exemplum expositum habes VI, 107. Hippias, qui barbaros in Marathonium campum deducebat, per somnum cum matre concumbere sibi videbatur, quo ex somnio conjectabat fore ut reversus Athenas ac recepto dominatu senex domi suae obiret. Postero autem die, quum ducis officio fungens barbaros in terram egressos disponeret, vehementior ei contigit tussis, unde, concussis dentibus, unus illorum excussus est et in arenam delapsus; qui magna adhibita ad inveniendum diligentia, quum tamen non appareret, suspirans Hippias „hanc terram, inquit, non poterimus nobis subjectam efficere; quanta autem pars ad me pertinebat, deus obtinet.“ Et ita quidem Hippias ista visione interpretabatur se in re futili defunctum esse.

Unius praeterea loci fiat mentio VI, 118, unde religiosa diligentia, qua in somniis quoque memoriae tradendis usus sit pius Herodotus, optime perspicitur. Dati enim in Asiam cum classe redeunti somnium obvenit, quod quale fuerit comparatum, quamvis non percrebruerit, tamen ab eo memorando diligens miraculorum auctor abstinere noluit.

Sed his expositis disputationi meae finem imponere ejusque alteram partem alii occasioni reponere monet breve quod concessum est his literis spatium. Herodoti vero pietatem mutabilem atque sibi ipsi minime constantem esse, jam his ex ipso scriptore repetitis exemplis nunc quidem aliqua ex parte demonstrasse mihi videor, aliquando, ubi prolusionis scribendae munus ad me redierit, integre me probaturum esse spero.

